

Julianum, cap. xi, et alibi sæpe. Requirit autem Augustinus tria ad hoc quod aliquod bonum faciamus, scilicet quod incipiat non latere, quod pertinet ad cogitationem quæ cognoscitur; et secundo, quod delectet; et tertio, quod ametur, seu diligatur: quod ultimum pertinet ad actum liberum; dicit autem Augustinus quod ad hoc ultimum, scilicet ut diligatur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ergo non sola delectatio facit in nobis dilectionem liberam, neque est victrix nisi cum charitate diffusa, quæ est auxilium datum a Deo ut libere diligamus.

XV. Ultima pars conclusionis, scilicet quod requiritur etiam concursus concomitans, sed non in illo solum consistit gratia cooperans, et adjuvans, sumitur ex D. Thoma hic articulo secundo, ubi inquit: « Quod Deus nos adjuvat et interius confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi præbendo, et respectu hujusmodi actus dicitur gratia cooperans. » Includit ergo illa duo gratia cooperans, scilicet confirmationem voluntatis ut ad actum perveniat, quod utique antecederet se habet ad actum, et facultatem operandi exterius, quod pertinet ad influxum comitantem. Et suffragatur ratio, quia gratia adjuvans datur ad hoc ut infirmitas voluntatis adjuvetur, et confirmetur, juxta illud Roman. viii: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*; ergo non solum est influxus in actum quod pertinet ad concursum concomitantem, sed etiam aliquid ponit in ipsa potentia, quo infirmitas illius confirmetur, et adjuvetur ut procedat in actum, nam concursus simultaneus, et concomitans supponit ipsam voluntatem influentem, vel potius simul cum illius influxu identificatur, et tendit in effectum, atque adeo non tollit infir-

mitatem potentiæ ut influat in actum, sed cum ipso influxu conjungitur.

XVI. Denique hoc deducitur ex Augustino, qui impugnat discipulos Pelagii constituentes gratiam adjuvantem solum in influxu in ipsum opus, qui est influxus simultaneus, ut constat ex libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite xix: « Sed dixisti, inquit, in bono opere a Dei gratia semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur pro meritis; videlicet voluntatis bonæ, etc. » Ubi gratiam adjuvantem, quæ in ipsum opus influeret, isti Pelagiani non negabant. Sed concursus concomitans solum est influxus in actum, non in voluntatem, ergo si in hoc tantum constituimus gratiam adjuvantem, nihil amplius ponimus, quam Pelagiani in hac parte. Similiter urget illa consequentia Augustini in enchiridio, cap. xxxii ubi inquit: « Si propterea dictum est non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tamquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis si non sit etiam misericordia Dei, non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non erit etiam voluntas hominis. » Quam consequentiam Augustinus dicit apertissime contradicere Apostolo, unde formatur argumentum sic: Non solum in actu indeliberato ad quem ordinatur gratia operans, sed etiam in libero ad quem requiritur gratia cooperans, verum habet dictum Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: sed non potest explicari hoc dictum per hoc solum quod fiat unum ex utroque, id est, ex voluntate homi-

nis, et misericordia Dei, quia sola voluntas hominis non sufficit, si non sit etiam misericordia Dei, ut clare dicit Augustinus; ergo neque in solo concursu simultaneo potest consistere gratia cooperans, et adjuvans, quia in concursu simultaneo fit unum ex utroque, scilicet ex influxu Dei, et causæ creatæ, et non sufficit solus concursus Dei si non sit etiam influxus causæ creatæ, in hoc enim consistit esse concursum simultaneum. Quare aliqua antecedentia debet poni in gratia adjuvante respectu actus eliciendi a voluntate, et cum hoc non sit solum aliquid morale, ut ostendimus, debet esse physica antecedentia in voluntate.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Objici possunt contra resolutionem hujus articuli argumenta petita tum ex auctoritate, tum ex ratione. Ex auctoritate primo objicitur, quod D. Thomas questione præcedenti, articulo secundo docet gratiam actualem consistere in motione, et non in qualitate, et in hoc articulo secundo ponit gratiam operantem consistere in actu interiori, cooperantem autem in exteriori, sed hoc jam solutum est præcedenti articulo ubi ostendimus sensum esse, quod gratia non consistit in qualitate per modum habitus, sed per modum moventis, non quidem in motione elicitā ab homine, sed procedente a Deo, et imprimente in homine qualitatem. Similiter in hoc articulo secundo non dicit consistere gratiam operantem in actu interiori, et cooperantem in exteriori, sed gratiam operantem esse secundum quod Deus movet ad actum interiorum, et cooperantem secundum quod adjuvat ad exteriorum. Nec majorem difficultatem habet, quod

citari solet ex D. Thoma ad Romanos viii, lect. iii, et Joan. iii, lect. v, quod: « Gratia qua Deus nos trahit non est solum illuminatio interior sed motio, et instinctus Dei movens, et impellens cor hominis. » Hoc enim probat gratiam Dei esse motionem, non tamen elicitam ab homine, sed impressam a Deo.

XVIII. Secundo objicitur auctoritas Augustini qui in libro secundo de peccatorum meritis, et remissione, capite xvii inquirens quare homines nolunt facere quod justum est, inquit: « Ideo non facere, quia vel latet an justum est, vel quia non delectat, » unde infert capite xix, quod: « Deum permittere peccatum nihil aliud est quam non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, » unde tandem concludit: « Cum ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quam ut aperiat quod latebat, et suavifaciat quod non delectabat: » igitur non consistit gratia ista cooperans in aliqua alia qualitate, sed solum in illa cognitione, et delectatione, alioquin aliquid aliud peteremus quando petimus auxilium Dei præter illa duo, et eodem modo loquitur Augustinus libro primo ad Simplicium, quæstione secunda quando dicit: « Vocatione Dei id agi ut credamus, et vocationem Dei esse effectricem bonæ voluntatis. » Vocatio autem Dei solum in actu indeliberato consistit, unde et gratia Dei vocatur inspiratio, et vocatio, quod non convenit qualitati, quæ se habet per modum actus primi, sed motioni, quæ est actus secundus vitalis.

XIX. Respondetur istas auctoritates, et similes solum ostendere, quod requiritur victrix delectatio ad hoc ut homo bene operetur, sed in quo consistat ista delectatio victrix non ibi explicat Augustinus, sed in loco

supra a nobis citato. Et dicimus non consistere in solo motu indeliberato, sed aliquid debere superaddi, ut delectatio illa victrix reddatur, eo quod solus motus indeliberatus non habet infallibilem, et efficacem influxum in actum liberum, nisi mediante motione divina: *Qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, ut diximus ex Augustino libro de spiritu et litteræ, cap. III. Quando vero addit Augustinus: « Quid aliud deprecamur quam cognitionem, et delectationem, » cum loquamur de delectatione victrici, et efficaci, jam in tali delectatione includit non solum motum indeliberatum, sed ut habet adjunctam qualitatem moventem ad actum liberum, vel si loquitur de sola, et nuda vocatione ut præcise dicit actum indeliberatum, intelligitur quod efficit bonam voluntatem non proxime influendo, et cooperando efficaciter, sed remote quatenus inchoat primam operationem, et actum indeliberatum, qui prærequiritur, et antecedit actum liberum: sed tamen solus ille motus indeliberatus non sufficit nisi illi adjungatur motio Dei, et qualitas per modum transeuntis. Quando vero Concilia dicunt gratiam esse vocationem, et inspirationem, unum quidem est de gratia operante, gratiam vero cooperantem non dicunt consistere in solo illo motu indeliberato, qui per primam vocationem, et inspirationem fit.

XX. Tertio objicies: Voluntas his duobus præventa, scilicet propositione objecti per intellectum, et victrici delectatione per voluntatem efficacissime præparatur, et infallibiliter, ac physice influit in consensum liberum; ergo superfluum est aliam qualitatem addere. Antecedens probatur, nam imprimis ille motus indeliberatus voluntatis non movet ex parte objecti, quod est ge-

nus moralis motionis, sed ex parte subjecti, quia ex parte voluntatis se tenet; ergo physice: tum etiam, quia movet per modum actus secundi, qualitas autem illa per modum actus primi, cum sit antecedens ipsum actum secundum, efficacius autem movet, et determinat actus secundus, quam actus primus; ergo major efficacia invenitur in illo motu indeliberato, quam in qualitate transeunte. Confirmatur, quia qualitas quæ determinat ad actum indeliberatum, et antecedit illum proportionata est, et efficax etiam ad actum liberum dummodo ponatur nova advertentia rationis, qua illud objectum proponatur cum indifferentia; ergo superfluit omnis alia qualitas, præsertim quia ista qualitas non potest operari nisi præsupposito consilio rationis, posito autem et stante iudicio practico, et consilio rationis voluntas non dissentiet; ergo non requiritur alia qualitas.

XXI. Respondetur sine dubio sufficere victricem delectationem, ut voluntas efficaciter moveatur, sed tamen non esse victricem nisi mediante motione, et qualitate illa quæ ab Augustino vocatur diffusio charitatis, ut diligatur id quod delectat. Et ad primam probationem dicitur, quod ille motus indeliberatus voluntatis non quidem movet ex parte objecti, cum non pertineat ad intellectum, sed ad voluntatem, licet enim ex parte voluntatis se teneat, cum sit elicitus ab illa, non tamen est motio seu auxilium, quo Deus movet voluntatem ad actum liberum, sed est id quo voluntas se movet; voluntas autem non est movens infallibile, et efficax etiam respectu sui, sed contingens, et fallibile, quia non potest se movere de uno ad aliud, nisi mediante iudicio, et propositione practica cum indifferentia, unde non habet ex se infallibilem efficaciam,

sed dependenter a motione morali objecti per quam voluntas se movet, faciendo quod intellectus proponat objectum cum indifferentia ad actum liberum, ubi sæpe contingit frustrari totam motionem et actum liberum, quare ut infallibiliter moveatur indiget motione infallibili, quæ est Dei.

XXII. Et ad secundam partem dicitur, quod motus indeliberatus movet per modum actus secundi distinguo; per modum actus secundi moventis contingenter, et fallibiliter, concedo; utpote cum sit actus et motio causæ creatæ moventis infallibiliter, nego. Motio autem Dei dicitur movere per modum actus primi, distinguo; per modum actus primi qui sit virtus superaddita causæ creatæ, nego; qui sit applicatio virtus creatæ, ad agendum, concedo. Ista autem motio Dei quam ponimus non est per modum habitus, aut virtutis activæ, sed est qualitas transiens per modum applicationis virtutis ad agendum, et ita infallibiliter deducit voluntatem usque ad actum secundum, et efficacius movet applicando, quam quilibet alius actus causæ creatæ, quia iste est actus secundus causæ primæ, et ita excedit actum secundum indeliberatum.

XXIII. Ad confirmationem respondetur, quod motio, et qualitas Dei quæ datur ad actum indeliberatum transit cum illo, et non movet ad plures actus, quia ad singulos actus datur gratia Dei, ut Augustinus et patres definierunt contra Pelagium. Quod si requiritur nova advertentia rationis, etiam requiritur novus concursus, et auxilium Dei ut modo libero moveat voluntatem. Unde ista qualitas, et motio Dei post iudicium practicum, et consilium rationis, supervenit voluntati tamquam applicatio causæ primæ ad agendum, quia iudicium practicum applicat

applicatione causæ creatæ, et mediante objecto proposito, quod totum non inducit nisi moralem motionem, et fallibilem; potest enim cessare illud iudicium practicum, et diverti ad aliud, quare ut infallibiliter moveatur a Deo, indiget distincta motione a Deo proveniente. Argumenta quæ proponi possunt ad probandum quod gratia cooperans influit antecedenter solum moraliter, et non physice, tangunt præcipue duo puncta. Primum, quia ista qualitas sic antecedens, et determinans tollit libertatem: secundum, quod cum sit requisita ad agendum, et non sit posita in manu nostra, si denegatur a Deo, non potest nobis imputari quod non operemur. Sed quia de his, et aliis similibus difficultatibus sequenti disputatione est agendum, ibi solventur hæc argumenta.

DISPUTATIO XXIV.

DE GRATIA SUFFICIENTI, ET EFFICACI.

Divisio hæc celebris semper fuit, et istis temporibus multis difficultatibus, et disputationibus facta est celebrior, in qua multa tractantur, quæ pertinent ad scientiam, et voluntatem, et prædestinationem Dei, a quibus tamquam a causis vel dirigitur, vel derivatur auxilium efficax: et fere tota difficultas consistit in explicanda infallibilitate gratiæ efficaciæ, quam componere cum libertate nostra, et hæretici nolunt, et catholici credunt, licet difficile fit ad explicandum. De sufficienti ergo gratia pauca sunt quæ difficilem controversiam postulent. De efficaci vero ea solum tractabimus, quæ ad propriam efficaciam, et infallibilitatis rationem spectant, relictis iis quæ